PA 6656
.Z5 A6
Copy 1

PA 6656
.Z5 A6
Copy 1

SELECTA CAPITA DE SYNTAXI SALLVSTIANA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS D. XXI. MENSIS MARTII A. MDCCCLXXIII. HOR. XI. IN AVDITORIO MAXIMO VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PVBLICE DEFENDIT

AUGUSTUS ANSCHUETZ

SALFELDANUS.

ADVERSARIORVM PARTES SUSCIPIENT:

M. HERWIG, CAND. PHIL.

M. KRAFFT, CAND. PHIL.

LIBRARY OF CONGRESS
PHILOSOPHY DEPT.

HALIS,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

PA6656
.Z5A6

Selecta capita de syntaxi Sallustiana.

Scripturo mihi de dicendi genere C. Sallustii Crispi, quod in libris de conjuratione Catilinae et de bello Jugurthino atque in libris Historiarum, quas quidem norimus, demonstravit, non levem causam, cur hanc suscipiam operam, esse futuram recte spero.

Nam qui sint mores cujusque scriptoris et studia cum plurimum interest ad orationis habitum tum id maxime dici debet de Sallustio. Illud enim omnino constat, nostrum scriptorem usu singulorum verborum et locutionum atque tota oratione conformanda non solum a consuetudine aequalium sed eorum etiam, qui post eum scripserunt, longe recedere. Imitatus [1] enim seu admiratione et veneratione antiquitatis permotus seu ambitione et gloriola inductus, priscam verborum vetustatem atque sententiosam brevitatem secutus minus solitum genus dicendi sibi finxit, ut religionem quandam et verecundiam, severitatem et gravitatem orationi suae imprimeret. [2] — Quibus in laudibus si quid praeclari inerat, eaedem multiplicem errorum vitiorumque materiam dabant. Neque negari potest, quum esset judicio minus firmo praeditus, Sallustium temperantia neglecta a sanitate dicendi interdum ad insolentiam et, ut ita dicam, ad fucatum splendorem quendam delapsum esse. [3]

---

1) Schultze: de archaismis Sallustianis. diss. inaug. Halle 1871.

2) Quint. 1, 6, 1; 1, 6, 39.

3) Veteres scriptores iniquius quam verius de oratione Sallustiana judicasse confitemur. cf. Gell. N. A. 4, 15, 1. — Et Kritz. in proleg. ad ed. alt 1856. p. 18: Nipperdey in praef. ad Tac. annal. p. 24. Teuffel, Geschichte der röm. Lit. edit. I. pag. 336. At contra Bernhardy in primis, Röm. Literaturgesch. edit. IV. pag. 232.

Quo de artificioso genere dicendi quamquam viros doctos egregie disseruisse haud nescio, neminem tamen doctum esse video, qui id ipsum, quod mihi proposui, tractaverit aut eadem usus sit tractatione, quae mihi optima esse videtur. Atque hanc rationem in commentando esse mihi ineundam existimavi, quam Draegerus in libris qui inscribuntur: „Historische Syntax der lateinischen Sprache“ et „Ueber Syntax und Stil des Tacitus“ ingressus est. — In conficiendo autem hoc libello Dietschium, Fabrium, Gerlachium, Herzogium, Kritzium, quorum commentaria in auctorem nostrum diligentissime et sagacissime perscripta accurate consulebam, magno adjumento mihi fuisse grato profiteor animo. Qui reliqui libri praesto mihi fuerunt, singulis paginis a me adnotabuntur. —

Iam ad rem propositam accedamus.

CAP. I.

DE SUBSTANTIVO.

A. Substantivum concretum singulari numero dictum.

Dico ea tantummodo substantiva, quae singulariter usurpata vim habent collectivam, ut singularis numerus pro plurali legatur. Quem usum plerumque ad ea nomina, quae aut genus rerum earumque praecipue, quae gignuntur e terra, aut numerum hominum aut gentem aliquam designant, pertinere, testimoniis scriptorum Romanorum satis comprobatur.[1] Et imprimis Livius[2] et Tacitus[3] in hoc more scribendi multi erant nec dubitabant, cum essent variandae orationis studiosi, quin singularem et pluralem numerum promiscue dicerent, a qua asperitate et inaequalitate sermonis scriptores classici, qui vocantur, concinnitatem verborum sectati, plane, quod sciam, abhorrebant. — Sallustii libri praebent haec pauca exempla: Jug. 17, 5 ager frugum fertilis, bonus pecori, arbore infecundus, Jug. 48, 3 collis — vestitus oleastro et murtetis aliisque generibus arborum. Jug. 57, 4: glande aut lapidibus pugnare (cf. Cic.

1) Madvig, Lat. Sprachlehre §. 50, nt. 2; 5.
2) Drakenb. Liv. 2, 20, 12; 3, 2, 11; 7, 35, 2.
3) Draeger, Ueber Synt. u. Stil d. Tac. pag. 3 Hist. Synt. p. 4

orat. 9, 31: — glande vescantur; Liv. 38, 20 et 21 sagittis, glande, jaculis). — Jug. 6, 1: leonem atque alias feras primus aut in primis ferire. — Cat. 5, 3: Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris. — Cat. 9, 4: vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant. Item Cat. 52, 30; 60, 4. Jug. 52, 3, 5; 55, 3, 8; 56, 1; 82, 1; 85, 33; 94, 3. Hist. I, 68 Dietsch (Kr. 68). Multo saepius pluralis usurpatur. — Miles pro militibus uno loco: Jug. 42, 2: ut — miles cibum et arma portaret. Item pedes Jug. 101, 6: occiso pedite nostro. — Eques plurali sensu numquam invenitur. — Neque nomina gentilicia Maurus, Numida, Romanus ponuntur pro populo; at saepius significant ducem populi: Maurus Jug. 97, 2; 108, 1; 113, 1, 3. — Numida Jug. 101, 6; 106, 3; 111, 4; 113, 4; 6. —

B. Substantiva concreta plurali numero dicta.

Horum substantivorum usus numeri pluralis pro singulari ut apud poetas latinos varius est atque multiplex[1] ita in genere oratorio scriptorum Romanorum haud ita longe patet et in eis potissimum nominibus versatur, quibus materiae notantur et res, quae multis partibus continentur. aquae Jug. 17, 5: penuria aquarum; Jug. 37, 4; 55, 8; Incendia Cat. 27, 2; 32, 2; 48, 4; 51, 9; 52, 36; Hist. I, 48 D. (Kr. 51); Ignes Jug. 98, 6: crebris ignibus factis; 106, 4; Hist. III, 67, 5 D. (Kr. 77); at Hist. III, 67 D. (Kr. 77) 17: alii in tecta jaciebant ignis. — Ardores Jug. 18, 9: haud procul ab ardoribus. cf. Nägelsb. Lat. Stil § 12, 2: Die einzelnen Erscheinungen des kosmischen Lebens, auf welche sich der Plural allerdings bezieht, fassen wir nämlich in unserm Abstractum zusammen. Wenn Sall. Jug. 18, 9 sagt: Gaetuli —, so wissen wir freilich, was ardores wörtlich bedeutet, übersetzen aber dennoch mit Fug: nicht weit von der heissen Zone. — Jug. 19, 6: dehinc loca exusta solis ardoribus. — Luces Hist. inc. 116 D. (Kr. 88). — Haec et similia[2] quae in rerum

1) Reisig, Vorles. über lat. Sprachw. § 89, 2.

2) Draeger, Hist. Synt. pag. 5 congessit haec: nives, glacies, pruinae, pluviae, imbres, grandines, rores, frigora, rigores, algores, gelicidia,

natura fiunt Romani saepius plurali numero dicere solent; cujus rei ratio mihi esse videtur in eo quod illa multis vicibus repetuntur vel quod conspiciuntur multis rebus. —

Comitatus Cat. 45, 1: imperat, uti — Allobrogum comitatus deprehendant cf. Herzog. Caes. b. g. 1, 48. Commeatus Jug. 28, 7; 47, 2; hist. II, 41 D. (Kr. 50), 7; II, 51 D (Kr. 48); V, 8. Cat. 58, 9: „Omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt.“ Etiam hic equidem intelligi velim pluralem et suppleri „erunt,“ quod vocabulum modo praecedit. equitatus Jug. 46, 7: „quocumque adcederent equitatus hostium.“ — dicit enim noster singulas equitum turmas. — frumenta Hist. III, 67 D. (Kr. 77). Editores enim in lacuna fuisse suspicati sunt haec: „et tum matura in agris erant autumni frumenta.“ cf. Verg. Aen. 4, 406. — multitudines: perraro pluraliter invenitur haec vox; Cat. 50, 1 „partim exquirebant duces multitudinum“ i. e. singularum manuum. patrimonia Cat. 37, 4: patrimoniis amissis. pecuniae Cat. 18, 3; 49, 2; 51, 43; 52, 14. Jug. 31, 25; 40, 1. Hist. I, 48 D. (Kr. 51), 17. — praedae Jug. 20, 8; 31, 10; 32, 3; 41, 7; 44, 5; 88, 3. Hist. IV, 11 D. (Kr, 63). — Res familiares Jug. 64, 6; Hist. I, 12. Saepius legitur singularis. — Jug. 10, 8: Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse. — „Liberos“ pertinere ad „talem hunc virum“ (i. e. Jugurtham) e sententiarum ratione satis apparet, et pluralem e concinnitate verborum repetendum esse puto.

C. Substantiva abstracta plurali numero dicta.

Hunc numeri pluralis usum[1] Draegerus qui de ea re diligenter ac copiose disseruit in his quattuor causis positum esse

---

calores, aestus, soles, ardores (Cic. de sen. 15), tepores, tempestates, tranquillitates. —

1) Rudimanni instit. gramm. lat. (ed. Stallbaum) lib. I, cap. III, p. 140 ff. — Draeger, Hist. synt. p. 9 ff. — Zpt. Gram. § 92 nt. 1 —

putat. Usurpari enim pluralem, quod significet complura genera substantivi abstracti (1) aut actiones, condiciones, animorum quosdam habitus, qui iterum ac saepius repetantur (2) aut quod pertineat ad complura concreta (3) aut propter concinnitatem verborum (4). — Et ad antiquiorum scriptorum, dico imprimis comicorum, exempla respicientes, pluralem perraro ab eis adhiberi videmus. Cicero autem praeter ceteros frequentissimus est in eo usurpando. Apud nostrum autem pluraliter dicta inveniuntur haec:

1) asperitates Jug. 75, 2; Hist. I, 68: etiam hoc loco Sallustium illo vocabulo usum esse, confirmat Carrionis emendatio probabilis mihi dissidenti a Dietschio, qui scripsit copias. — difficultates Jug. 7, 1; 90, 1. — famae Hist. I, 67 D. (Kr. 66) per omnem provinciam magnae atrocesque famae ibant: hoc legi voluit Keilius, quem Dietschius secutus est. Hist. inc. 76 D. (Kr. 42) aequi bonique famas petit. — oportunitates Jug. 47, 2. lubidines Cat. 13, 5. munditiae Jug. 63, 3 neque urbanis munditiis sese exercuit; Jug. 85, 40. — suspiciones Hist. IV, 31 D. (Kr. 56). — Modi Cat. 16, 1: multis modis. Cat. 5, 6 quibus modis; Hist. II, 33 (Kr. 41). Cat. 13, 5 omnibus modis; 20, 12; 26, 2; 29, 3; Jug. 15, 2; 39, 2; 55, 3. (Jug. 30, 3: omni modo). — Rationes Cat. 44, 5 consideres quid tuae rationes postulent. 56, 5; Jug. 97, 2.

2) conventus Cat. 30, 2; Jug. 30, 1. — egressus Jug. 35, 5 itinera egressusque ejus explorat. (Tac. annal. 15, 36; dial. de or. 6). — astutiae Cat. 26, 2. doli Cat. 14, 5; Jug. 6, 3; 14, 11; 22, 4; 23, 1; 25, 9; 56, 1. fallaciae Cat. 11, 2: dolis atque fallaciis contendit. — dedecora Cat. 37, 5 per dedecora patrimoniis amissis. Jug. 31, 19. — largitiones Cat. 37, 7; Hist. I, 48 (Kr. 51), 6. — latrocinia Jug. 4, 7; Hist. II, 67 (Kr. 77). — pollicitationes Jug. 20, 1; 61, 4 — portationes Cat. 42, 2 armorum atque telorum portationibus. — rapinae Cat. 5, 2; 16, 4; 21, 2; 28, 4; 57, 1; Hist. I, 36 (Kr. 19); I, 48 (Kr. 51) 4; 20. II, 80 (Kr. 78). — saevitiae Hist. I, 9 (Kr. 10) quibus agitata saevitiis — plebes. — sumptus Cat. 24, 3; Jug. 4, 7; Hist. II, 41 (Kr. 50) 7; IV, 61 (Kr. 19) 8.

Initia Cat. 11, 4 bonis initiis malos eventus habuit. — Insomniae Cat. 27, 2 neque insomniis neque labore fatigari. Hist. IV, 61 (Kr. 19) insomniis occidere. — fortunae Jug. 13, 3 legatos miserat, qui senatum docerent de — fortunis suis. Jug. 14, 24; utinam emori fortunis meis honestus exitus esset; et Jug. 23, 2; 62, 1; 83, 2.[1] — miseriae Cat. 4, 1; 40, 3; 51, 20; Jug. 13, 4; 11, 21; 92, 3; 100, 5; Hist. I, 19 (Kr. 21); II, 41 (Kr. 50) 2. — casus Jug. 1, 5; hist. III, 67 (Kr. 77). aerumnae Cat. 51, 20; Jug. 14, 7; 14, 23; 24, 10; 49, 3; Hist. II, 21 (Kr. 27). Neque infrequentius esse hoc vocabulum apud Ciceronem Dietschius ad Jug. 14, 7 confirmavit; et recte mihi Schultzius,[2] repugnante Gerlachio, judicasse videtur, auctorem nostrum usurpasse hoc, non ut prisca et ab usu cotidiano sermonis jam diu intermissa repeteret, sed ut labores non fugiendos verbo designaret tristissimo. — necessitates Hist. II, 96 (Kr. III, 1) 8 neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. necessitudines Cat. 21, 3 omnibus necessitudinibus circumventum. — oportunitates Cat. 43, 3 magnas oportunitates corrumpere. — tempestates artificiosius pro „tempora“ Cat. 20, 3 multis et magnis tempestatibus; Cat. 53, 5; Jug. 73, 7; 96, 1; 108, 2. Frequentissime autem usurpat noster singularem, usitatum antiquioribus in primis scriptoribus et non numquam Ciceroni (de div. 1, 34, 75) et Livio (1, 5). —

gaudia Cat. 61, 9 luctus atque gaudia agitabantur; Jug. 2, 4 dediti corporis gaudiis. Pluralem poetis tritissimum etiam habet Cicero (Cat. I, 10, 26) Livius (9, 15; 22, 7; 30, 42) Tacitus (annal. 13, 46; 14, 4). —

3, Animi: pluralis etiam apud omnes alios scriptores satis frequens; Cat. 36, 4: animis obstinatis; Jug. 50, 4 firmioribus animis; Hist. inc. 2 (Kr. I, 16) Omnis Italia (i. e. Italici) animis discedit. Neque rarius singularis legitur, ad plures spectans, Jug. 20, 8; 54, 1; 85, 45. — At contra pluralis de uno dicitur. Hist. I, 41 (Kr. 45) 24: quare igitur

---

1) Draeger, Synt. u. Stil d. Tac. p. 2 docuit, quattuor dumtaxat locis Sallustii „fortunas“ hoc sensu inveniri; quod non recte factum.

2) Schultze, de arch. Sall. p. 47.

tanto agmine atque animis discedit; III, 61 (Kr. 82) 11: quantis animis ierit — vidistis (i. e. quanta superbia, quo fastu). — ingenia Cat. 8, 3 et 4; 20, 2; 51, 8 et 35; Jug. 103, 2. — amicitiae Cat. 6, 5 amicitias parabant; Cat. 10, 5. — familiaritates Cat. 14, 5 adulescentium familiaritates adpetebat (cf. Kritz. ad. h. l.). — inimicitiae Cat. 49, 2 uterque inimicitias exercebant; 51, 16; Hist. II, 41 (Kr. 50) 4; Hist. III. 61 (Kr. 82). Singulari, quem teste Gellio (19, 8) admittendum non esse Caesar putavit, Cicero utitur in Tuscul. disput. IV, 9, 21. —

discordiae Cat. 9, 2 jurgia discordias simultates cum hostibus exercebant, Jug. 78, 1; H. I, 9 (Kr. 10); I, 48 (Kr. 51) 14; III, 61 (Kr. 82) 17. — dissensiones Hist. I, 7 (Kr. 8); I, 9 (Kr. 10). simultates Cat. 9, 2; Hist. I, 10 (Kr. 11); societates Jug. 14, 18. — Auxilia Cat. 52, 29 auxilia deorum Hist. I, 41 (Kr. 45) 7: neque votis paranda auxilia; I, 48 (Kr. 51) 13; II, 41 (Kr. 50) 1. Cat. 6, 5. — Ceteris locis auxilia dicuntur pro „auxiliaribus militibus.“ — praesidia Cat. 26, 4 circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. — Jug. 14, 15 et 18; Hist. III, 61 (Kr. 82) 4: in pluribus non in uno cuncti praesidia habebatis. patrocinia Hist. I, 48 (Kr. 51) 6; 20. — Custodiae Cat. 47, 3 itemque ceteri in liberis custodiis habeantur; Cat. 50, 4; 52, 14. — Cultus Hist. II, 80 (Kr. 78): agrorum cultibus. — dominationes Hist. I, 10 (Kr. 11). — imperia Cat. 6, 7 annua imperia; Jug. 3, 1 magistratus et imperia; Jug. 4, 7; Hist. III, 61 (Kr. 82) 18: gerant habeantque suo modo imperia. — legationes Jug. 40, 1. — potestates Jug. 63, 5 semperque in potestatibus eo modo agitabat; Jug. 85, 9 illis difficile est in potestatibus temperare. Consulatus Jug. 25, 29 sacerdotia Cat. 21, 2; Jug. 31, 10 sacerdotia et consulatus. — Studia Cat. 23, 5; Jug. 2, 1; 5, 2; 6, 3; 73, 4; 84, 3. — voluntates Jug. 113, 1: regiae voluntates ut vehementes sic mobiles, saepe ipsae sibi adversae. —

4) exitia Hist. I, 41 (Kr. 45) 25: turbamenta reipublicae atque exitia probate. — [et Cic. pro Mil. 2, 1; legg. I, 12; mortes de fin. 2, 30; et consimiliter noster Hist. II, 96

(Kr. III, 1) 1: miserruma omnium morte]. — gloriae i. e. honores rebus praeclare gestis parti: Thatenruhm Cat. 41, 7: penes eosdem — gloriae triumphique erant (it. Tac. ann. 3, 45; Gell. 1, 2, 6; 2, 27, 5; Plaut. Truc. 4, 4, 36; Mil. glor. 1, 1, 22; et cf. Cic. p. Planc. § 60). — quietes Cat. 15, 4 animus — neque vigiliis neque quietibus sedari poterat. (it. Cic. de offic. 1, 29, 103; Lucr. 1, 406). — paces Jug. 31, 20 bella atque paces (it. Hor. ep. 1, 3, 8; 2, 1, 102; Lucr. 5, 1228; Plaut. Rud. 1, 5, 1.).

D. Abstractum pro concreto.

Immutatio[1] substantivorum abstractorum pro concretis utroque modo fieri potest, ut pro persona aut facultas (1) quae in ipsa natura hujus personae posita atque infixa sit, aut actio et status (2) qui referatur ad hanc personam, ponatur. Qui usus quamquam apud scriptores, qui post classicos fuerunt, increbruit, tamen etiam apud Ciceronem haud admodum rarus est. Et Sallustii libri exempla exhibent haec:

1) Cat. 20, 2: neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. — Kritzius adnotavit: quivis latine doctus intelliget „per ignaviam“ non pro objecto esse posse, quo significantur ii, qui ignavi sunt, sed adverbii potestate — et „per ignava“ legendum esse censuit. Quod mihi secus videtur. Neque enim ignoratur, saepe ab auctore nostro substantiva praepositionibus subjuncta adverbiorum loco dici (Cat. 12, 5; 13, 2; 20, 9; 42, 2; Jug. 4, 7; 11, 8). Scite autem dicit Fabrius, parum perspicuum esse, cur, quamvis „per ignava“ luce clarius fuerit, maluerint tamen scribere „per ignaviam“ — quae est optimorum librorum scriptura. Ad hoc consideres Cat. 51, 6 numquam ipsi per occasionem talia fecere; § 36; Jug. 64, 3 ubi primum potuisset per negotia publica. — Quapropter non dubito, quin in lectione codicum acquiescendum sit itaque explicandum, ut abstractum sit positum pro concreto. — Jug. 85, 13 Comparate nunc,

1) Naegelsbach, Lat. Stil. § 14; § 15. Draeger, Hist. Synt. pag. 18; 19. — Zpt., Gram. § 675.

Quirites, cum illorum superbia me hominem novum, i. e. cum illis superbis hominibus. —

2) Cat. 14 1 Omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Immutat igitur noster pro personis ea, quae ab eisdem flagitiose et sceleste patrantur. — Cat. 51, 14: quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur (imperio pro imperantibus.) Et consimiliter Caes. B. G. 3, 32 imperia pro imperatoribus. — Hist. III, 61 (Kr. 82) 20: Injuriae gratiam debere: injuria igitur dicitur de eis qui injuriam faciunt. —

Cat. 24, 4 Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare; it. Cat. 44, 6; 46, 3; 50, 1; 56, 5; Jug. 66, 1. Pro personis dicitur condicio, qua eae utuntur. Quo sensu vocabulum etiam usitatum est Ciceroni (p. Flacco 38) et Livio 1, 40; 2, 10. — Cat. 36, 1 dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat (i. e. vicinos) cf. Cic. p. Rosc. Amer. 6, 15; Caes. B. G. 6, 34. Et vicinia pro hominibus apud Hor. sat. 2, 5, 106; ep. 1, 16, 14. — Jug. 85, 14 Contemnunt novitatem meam (me novum hominem). — Hist. III, 60 (Kr. 64) vetustatem (veteres homines), ut cetera, in majus componentem altores Jovis celebravisse. — Cat. 43, 1 multitudo conjurationis (conjurationis consciorum); Cat. 48, 4 aliique ex conjuratione. — Atque juventus, nobilitas, custodiae, vigiliae pro hominibus et a nostro auctore et ab aliis vulgo dicuntur.

3) Et immutantur abstracta pro nominibus tamquam personarum sic rerum. Jug. 23, 2: per hostium munitiones (pro munimentis, quae munitionibus fiunt) it. Jug. 38, 6; Hist. IV, 56 (Kr. 15). — Jug. 92, 7 aggeribus turribus et aliis machinationibus (pro instrumentis). — Cat. 48, 2 omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant (i. e. in rebus ad vitam sustinendam necessariis). — Jug. 84, 3 Marius aut belli usum (quae bello usui forent) aut studia volgi amissurus; 89, 6, 75, 1. — Jug. 74, 1 in solitudines pergere i. e. in loca deserta; 75, 1; 80, 1; 89, 4. — Hist. IV, 22 (Kr. 37) Charybdis mare vorticosum, quod forte inlata naufragia — ad littora trahit: ubi naufragia sunt naves

naufragium perpessae. — Jug. 19, 1 urbis — condidere, eaeque brevi multum auctae pars originibus suis praesidio aliae decori fuere: origines igitur sunt civitates, unde oriundae erant. Liv. 26, 13; 38, 39. —

E. Propria Sallustii substantiva et rara.

Ex verborum fingendi et novandi studio[1] Sallustius verba quaedam adhibet, quae cum constet aut perraro ea reperiri aut propio Salustii modo usurpari, enumerare lubet:

acceptio Jug. 29, 4 — frumenti; quo sensu legitur tantummodo ap. Cic. top. 8 neque deditionem neque donationem sine acceptione intelligi posse. — Ceteroquin in philosophorum libris est positio, quam alter concedit alteri. —

artes usitatissima vox Sallustio est ac varia vi adhibita, ut modo mores et studia (Cat. 10, 4; 11, 2; Jug. 2, 4) significet modo facta, quibus illa exercentur (Cat. 3, 4; Jug. 4, 7; 63, 3). — Saepe additur adjectivum, quo distinctius substantivum definiatur. —

asperitas saepe usurpatum a nostro vocabulum et translatum ad designandam difficultatem vel rem difficilem et periculosam: Jug. 29, 1; 50, 6; 75, 2 et 10; 67, 3; 89, 4; 92, 4; Hist. I, 68; proprio sensu Jug. 17, 2 (cf. Fabri ad. h. l.); Hist. IV, 20 (Kr. 35). —

claritudo Jug. 2, 4; 7, 4; more veterum pro „claritas."[2] —

facundia: apud Ciceronem et Caesarem invenitur numquam, saepius apud nostrum: Cat. 53, 3; Jug. 30. 4; 63, 3; 85, 26; 102, 4; Hist. II, 41 (Kr. 50) 4; II, 37 (Kr. 46); at eloquentia duobus tantum locis Cat. 5, 4; 54, 1. Et plerique docent, facundiam profectam esse ex natura et ingenio, ex institutione eloquentiam.

forus Hist. I, 77 (Kr. 76) — pisca forma pro „forum."[3]

gnaritas Hist. III, 68 (Kr. 78) legitur tantummodo apud Ammianum 16, 2 juvante locorum gnaritate.

---

1) Gell. 4, 15, 1. — 11, 7, 2: nova autem videri dico etiam ea, quae sunt inusitata et desita, etsi sunt vetusta.

2) cf. Nonius (ed. Quicherat, Paris 1872), pag. 83; Gell. 13, 3.

3) Nonius, p. 252; Charis. (ed. Keil) p. 71, 27.

incultus Cat. 55, 4; Jug. 2, 4; et Liv. 42, 12; alio loco non reperias. —

loci quibus, ut consuetudo fert, sedes argumentorum notantur, a nostro dicuntur vulgari sensu: Jug. 18, 4; 30, 1; 66, 1; 76, 1; 78, 1; 87, 4; 97, 1.[1]

necessitudo: quam ex usu antiquiorum scriptorum dici pro necessitate jam veteres Grammatici docent:[2] Cat. 17, 2; 5; 21, 3; 33, 5; 58, 11; 19; Jug. 19, 8; 48, 1; 102, 5. — Uno loco vim affinitatis habet: Jug. 80, 6 Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, qui singuli pro opibus quisque quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent. — Necessitas legitur Hist. I, 41 (Kr. 45) 15; II, 96 (Kr. III, 1) 8.

Obsequela Hist. II, 49 (Kr. 58): verbum vetuste positum pro obedientia. — Et obsequentia, quam Nonius (pag. 233) maluit legere, invenitur tantummodo apud Caesarem (B. G. 7, 29). —

ostentus: solus hujus verbi admittitur dativus ostentui (i. e. ad speciem) a nostro auctore (Jug. 24, 10; 46, 6) et a Tacito (annal. 1, 29; 12, 14; 15, 64); ablativum ostentu habet Gellius (20, 1, 48). —

permixtio perquam raro legitur: Jug. 41, 10 quasi permixtio terrae oriri coepit; et Cic. univ. 12, 37: superiorisque permixtionis reliquias fundens aequabat; est igitur translate pro perturbatione.

paratio (pro comparatione) Jug. 31, 8. Ita scribere nemo auctor Romanus ausus est. —

paratus autem (pro apparatu) non solum usurpatur a nostro (Hist. I, 55 [Kr. 57]) sed etiam a Cicerone (fin. 5, 19, 53) a Livio (10. 41, 3) a Tacito (ann. 13, 17).

populares sceleris Cat. 22, 1; 24, 1; 52, 14: quod est insolenter dictum pro sociis sceleris; sed cf. Terent. Adel. 2, 1, 1 ad quem locum Donatus adnotavit: popularitas in omnis rei consortium sumitur. —

---

1) Rudim. instit. gram. lib. I, 108: loca in significatione vulgari frequentius quidem dicitur; nonnumquam tamen (et saepius quam quidam existimavere) loci — Reisig, Vorles. § 81 nt. 113.

2) Gell. 13, 3. — Charis. p. 99, 22. Non. p. 405.

prosapia Jug. 85, 10: vocabulum ex veterum scriptorum libris sumptum.[1]

satias Hist. II, 29 (Kr. 35) obsoletam formam esse pro satietate veteres Grammatici testantur.[2]

supplicia ex prisco more pro supplicationibus:[3] Cat. 9, 2; 52, 29; Jug. 55, 2; 66, 2. — Jug. 46, 2 legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent. Dicuntur igitur supplicia hoc loco signa, quae caduceatores portare solent; ea, ut Festi verbis utamur, sumebantur ex verbena felicis arboris, nec enim ex alio supplicia fas erat quam ex verbenis sumi. — it. Livius 22, 57, 5 (cf. Drakenb. ad. h. l.) et Tacitus annal. 3, 64. —

torpedo:[4] vox e Catonis fragmentis arcessita pro stupore animi: Hist. I, 48 (Kr. 51) 19; III, 61 (Kr. 82) 20 et 26.

turbamenta Hist. I, 41 (Kr. 45) 25; idem est ac perturbationes. Praeter nostrum usurpat hoc verbum Tacitus (hist. 1, 23).

vadus Hist. I, 68; insolenter pro vado neutrius generis.[5]

CAP. II.

DE GENERE.

In universum ut praedicatum cum subjecto et genere et numero congruere necesse sit a grammaticis praecipitur.[6] Non numquam autem subjecto masculini vel feminini generis

---

1) Cic. univ. 11. Quint. 1, 6, 40; 8, 3, 26. Festus: prosapia, progenies, id est porro sparsis et quasi jactis liberis, quia sipare significat jacere et disjicere.

2) Nonius, p. 183; Charis. 49, 9.

3) Varro de re rust. 2, 5 (Festus).

4) Charis. p. 86, 11 torpor et animi et corporis dicitur debilitatio, scilicet a torpedine pisce, cujus contactu corpus hebetatur, unde Sallustius hoc idem vitium torpedinem dixit.

5) Nonius, p. 252. Varro ap. Serv. Aen. 1, 111.

6) Madvig, Lat. Sprachl. § 211.

praedicatum subjungitur neutrius generis, quo quale sit genus illius personae significetur, ut in illo Vergilii (Aen. 4, 569): Varium et mutabile semper femina. Et similiter pronomen relativum neutro genere usurpatum ad personas respicit apud nostrum: Jug. 49, 5: Nam inter virgulta equi Numidaeque consederant neque plane occultati humilitate arborum et tamen incerti quidnam esset, cum natura loci tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati. Ad quem locum Kritzius adnotavit: ad „incerti" praedicatum neutro genere refertur, quia propter dubiam hostium faciem non constabat verene viri essent. Recte igitur Drakenborchius ad Liv. 1, 53, 11 censet, neutrum eam vim habere, ut oratio latius pateat iis quae maxime ad rem faciunt i. e. personis generali notione comprehensis. cf. Jug. 13, 6.—

Si ad plura diversi generis nomina, quorum unumquodque notat rem aliquam, praedicatum pertinet, aut neutro genere ponitur idque plurali numero (1) aut novissimo substantivo accomodatur. (2). Et utroque modo Sallustium scripsisse exempla confirmant haec.

1) Cat. 5, 2 Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere. — Cat. 10, 2 Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiae, optanda alias, oneri miseriaeque fuere. Quam scripturam, quae a Fabrio et Kritzio improbatur, cum Dietschio restituendam esse judicavi, quod quominus Sallustium „optandae" scripsisse credamus usus obstat. Hoc enim genus dicendi nostro usitatius fuisse quam alterum exemplis satis comprobatur. — Cat. 16, 2 fidem fortunas pericula vilia habere. — Cat. 20, 14 divitiae decus gloria in oculis sita sunt. — Cat. 54, 1 genus aetas eloquentia prope aequalia fuere. — Jug. 3, 1 magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum — minume — cupiunda videntur. — Et Jug. 14, 2; Hist. II, 41 (Kr. 50) 3. — Atque de pronominis usu: Cat. 36, 4 otium atque divitiae, quae prima mortales dicunt;[1] Jug. 55, 8 pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere. — Jug. 85, 2 quo pluris est univorsa res publica quam consulatus aut praetura, eo

1) Madvig, Lat. Sprachl. § 315.

majore cura illam administrari quam haec peti debere. Hist. I, 41 (Kr. 45) 9. —

2) Jug. 8, 2: gloriam et regnum venturum Jug. 111, 1: amicitiam foedus Numidiae partem — tunc ultro adventuram.

Sin autem substantiva copulantur, quorum unum notione personae masculini generis alterum notione rei continetur, aut masculino genere praedicatum ponitur (1) aut cum proximo congruit substantivo (2):

1) Jug. 49, 5 ipsi atque signa militaria obscurati.

2) Jug. 77, 3 Emissae eo cohortes Ligurum quattuor et G. Annius praefectus. —

Et aliquando in hac conjunctione substantivorum praedicatum neutrius generis est, cujus rei exemplum apud Sallustium non invenimus; [2] sed. cf. Liv. 40, 10 Romani regem regnumque Macedoniae sua futura sciunt, Tac. Ann. 1, 46.

Ac deinde praedicatum aut pronomen, si ad complura substantiva feminini generis, quae quidem rem aliquam significent, refertur, a Sallustio saepenumero neutro usurpari genere, testantur haec:

Cat. 3, 4 audacia, largitio, avaritia vigebant, quae tametsi animus aspernabatur —. Cat. 15, 7 agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat, quas supra memoravi. Cat. 10, 3 igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere: Cat. 20, 2 ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent. — Cat. 31, 1 — ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit. — Jug. 38, 8 Nox atque praeda castrorum hostis, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. —. Jug. 52, 4 plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. — 68, 1 deinde ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire injurias festinat. — 41, 3 Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. — 77, 2 Romam miserant amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere. — 85, 30 Hae

---

1) Madvig, Lat. Sprachl. § 214, 6 nt. Reisig, Vorles. § 187. —

sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, sed quae egomet plurimis laboribus quaesivi; §. 48: victoria praeda laus, quae si dubia aut procul essent —. Uno autem feminini generis substantivo praecedente pronomen, quod ad id pertinet, nihilominus neutro genere usurpatum invenitur: Jug. 41, 1: Ceterum mos partium — ortus est otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt; quo loco verba „earum rerum“ vicem pronominis neutrius generis eorum obtinent, unde vocabulum „quae“ repetendum est. Recte igitur Kritzius (Jug. 41, 1) disserui, „quae prima“ ita dictum esse, ut relativum tantummodo ad sensum praecedentium verborum, non ad genus grammaticum respiciat, quae licentia natura generalium notionum nitatur. — Neque aliter judicari potest de eis verbis quae leguntur Jug. 102, 9: Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit. — Badstuebnero [1] autem assentiri non possum statuenti, ea quae inveniuntur Cat. 36, 4; Jug. 41, 1; 76, 6; 84, 2 per attractionem dicta esse, qua pronomen „quae“ non ad subiectum antecedens sed ad vocabulum insequens „prima,“ quod vice substantivi cujusdam fungatur, pertineat. — Neque enim ullo loco attractionem admittendam esse puto, nisi sequens vocabulum, ad quod pronomen spectet, contineatur nomine aliquo substantivo. [2] — Et haec exempla attractionis pronominis et demonstrativi et relativi apud nostrum reperiuntur:

Cat. 7, 6 eas divitias eam bonam famam — putabant: 20, 4 nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. — 51, 14 quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. — 58, 16 Nam in fuga salutem sperare — ea vero dementia est. — Jug. 31, 15 Haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. — 85, 30 hae sunt meae imagines, haec nobilitas. — Hist. I, 48 (Kr. 51) 12 Neque mihi satis consili est, metum an ignaviam an dementiam eam adpellem.

---

1) Badstuebner de Sall. dicendi genere commentatio (Berl. Progr. 1863) pag. 6.

2) Madvig, Lat. Sprachl. § 313; § 316. — Reisig, Vorles. § 191.

Cat. 55, 3 Est in carcere locus, quod Tullianum appellatur. — Tullianum enim nomen proprium esse testantur Serv. ad. Verg. Aen. I, 159, et Charis. p. 76, 16. — Jug. 18, 11 Possedere ea loca, quae proxuma Carthagine Numidia appellatur. — 78, 6 ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam esse supra diximus, jumenta onerat. —

Paucis denique locis pronomen neutrius generis, singulari numero positum, legitur quod non ad singula quae praecedunt nomina, sed ad universum sensum praegressi enunciati referendem est: Cat. 1, 2 Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum deis, alterum cum beluis commune est (animi imperio uti — corporis servitio uti). — § 6: Sed diu magnum inter mortatis certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque (i. e. consulere — post consultationem mature incipere) per se indigens alterius auxilio eget. — Jug. 7, 5: Ac sane — et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet. — Quapropter haud dubie Badstuebneri [1] sententia rejicienda est judicantis pronomina illa ad praemissa substantiva spectare.

CAP. III.

DE NUMERO.

Praedicatum pluraliter dici, si ad plura substantiva spectet, omnino grammatici statuunt. Quod maxime cadere putandum est in conjunctionem complurium nominum, quibus personae notantur, veluti Cat. 11, 2 bonus et ignavus aeque sibi

---

1) Badstuebner pag. 7 Ceterum Sallustium libenter ad duo substantiva diversi generis pronomen neutro genere sed singulari numero positum referre comprobant Cat. 1, 2 et 6. —

exoptant; Cat. 43, 2. Idemque dici debet de praedicato, ad notiones rerum pertinente, praesertim si diversae sunt et inter se contrariae: Cat. 46, 2 At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere. Jug. 18, 5 mare magnum et ignara lingua commercio prohibebant. Cat. 3, 3; 12, 2; 20, 2; 20, 15; 23, 6; 51, 12; 58, 19; Jug. 39, 1; 104, 4; Hist. I, 48 (Kr. 51) 13. 15. „Senatus et populus Romanus" cum plurali praedicati: Jug. 41, 2; 111, 1; cum singulari: Jug. 104, 4. Utroque enim modo dici posse ex vi particulae „et" apparet.[1]

Saepius autem fit in libris Sallustii, tametsi plura praecedunt substantiva, ut numerus singularis usurpetur. Cujus singularis ratio mihi esse videtur in eo quod substantiva unam quasi notionem efficiunt (1) aut quod praedicatum ita est intelligendum, ut ad singula pertineat substantiva:

1) Cat. 17, 2 quibus maxuma necessitudo et plurumum audaciae inerat; 28, 4 lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerat; 39, 4 profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; 50, 3; 51, 42; 52, 6; 58, 4; Jug. 5, 2; 15, 3; 39, 5; 50, 6; 55, 7; 64, 1; 75, 2; Hist. III, 61 (Kr. 82) 18; IV, 20 (Kr. 35).

2) Cat. 12, 1 gloria, imperium, potentia sequebatur; 14, 3: flagitium egestas conscius animus exagitabat. —

Sin substantiva singularia particulis disjunctivis vel negativis conjuncta sunt, omnino non sine exceptione sed maxime tamen praedicatum ad novissimum nomen accomodatum singulari usurpatur numero. Et semper legitur singularis apud Sallustium: Cat. 51, 18 Nam profecto aut metus aut injuria te subegit; Cat. 57, 1 plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium inlexerat, dilabuntur. Jug. 6, 3; 17, 1; 31, 19. 24; 44, 4; 60, 1; 72, 2; 97, 5; Hist. IV, 61 (Kr. 19) 12. Cat. 38, 3: neque illis modestia neque

1) Stürenb. pro Arch. poeta (alt. edit.) pag. 49: Et stellt den untergeordneten Begriff als einen selbständigen, que als einen abhängigen d. h. als einen sich an den ersteren anlehnenden Begriff dar. — Hieraus ergiebt sich, dass die Begriffe, die durch que verbunden werden, stets in ihrer Einheit, die Begriffe aber, die durch et verbunden werden, bald in ihrer Einheit bald in ihrer Getrenntheit dargestellt werden. — Zpt., Lat. Gramm. § 373, nt. 1.

modus contentionis erat; Cat. 20, 16; 58, 10: neque locus neque amicus quisquam teget. Jug. 7, 6; 18, 5; 74, 1; 79, 3. sed cf. Liv. 26, 5; 5, 8, Cic. de off. 1, 41, 148. —

Quum autem substantivo singulari numero posito per praepositionem „cum“ aliud quoddam additur praedicatum nonnumquam pluraliter dici solet. Quod Handius (Tursell. p. 137) his confirmat verbis: Etiam de quacunque rerum hominumve conjunctione cum usurpatur, ut significet una cum his et pariter. Quare saepe nominibus additur adjectivum et verbum plurali numero: Cat. 43, 1 At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes conjurationis erant, — constituerant, ut —; Jug. 38, 6 cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem; 101, 5 Bocchus cum peditibus, — postremam Romanorum aciem invadunt. Hist. I, 48 (Kr. 51) 22: quare ita censeo — uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint. Hist. II, 96 (Kr. III, 1) 6: dux hostium G. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti. — Qui usus pluralis ut apud multos alios scriptores ac praecipue apud Livium[1] late patet, ita apud Ciceronem et Caesarem, quippe qui in hac verborum constructione semper fere singulari numero utantur, admodum rarus est.

Plerumque est praeceptum grammaticorum, quo monent, ut, quando in comparationibus substantivo per particulam „quam“ aliud substantivum adjiciatur, praedicatum insequens ad id ipsum saepius referendum sit. Quam regulam equidem contendo valere ita, ut substantivo subsequenti plus auctoritatis sit tribuendum. Quod quam vere sit ex exemplis auctoris nostri intelligi potest: Cat. 25, 3 Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit (quas virtutes ei carissimas fuisse aequum esset atque bonum). Hic enim „decus atque pudicitia“ maximum habet momentum, ut praedicatum ad ea vocabula recte pertineat, cumque unam efficiant notionem singularis admitti potest. Quare cum „fuit“ nihil offensionis in se habeat, non aliter legi debet neque compro-

1) Drakenb. Liv. 21, 60 elegans esse hoc loquendi genus dicit; 1, 59; 26, 46.

bari „tuere", quae quidem lectio in nonnullis codicibus exstet. — Jug 50, 6 Sin oportunior fugae collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere. Quum igitur in voce „collis" plus gravitatis inesse ex sententiarum ratione satis appareat, quamquam sunt qui „fuerant" legi maluerint, illam lectionem genuinam esse existimo. Sed minus ad illud praeceptum convenire videtur id quod legitur Jug. 74, 3 magis pedes quam arma Numidas tutata sunt. Nonnullis autem codicibus „tutati" exhibentibus non abest suspicio, quin locus pravus sit ac vitiosus. Sed Jug. 54, 7 Quae negotia multo magis quam proelium male pugnatum ab suis regem terrebant, ubi libri omnes inter se consentiunt. —

Paucis denique disseram de conjunctione subjecti cum alio substantivo apposito, qua Sallustius a vulgari dicendi more ita discedit, ut praedicatum non ad subjectum sed ad appositionem subjecti numero, genere, casu accomodet: Hist. I, 41 (Kr. 45) 17: nisi adprobaritis omnes — bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam vaenum aut dono datam. — I, 48 (Kr. 51) 12 Videmini intuentes mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.

Persaepe etiam fit, ut subjecto plurali numero posito pronomina, quibus accuratius definiatur, quisque, alius — alius subjungantur. Et scite Kritzius ad Jug. 18, 3 memorat: progressa paullulum licentia factum est, ut hoc pronomen (quisque) subjecto pluralis numeri quasi oppositionis vi adderetur, sed ita, ut reliquorum verborum structura non comprehensum tamquam absolutae enunciationis instar esset; qua dicendi ratione Latini utuntur ad indicandum idem a pluribus seorsum fieri. — Ad quae pronomina pluralem praedicati pertinere nequaquam putandum est.[1] Cat. 7, 1 Coepere se quisque magis extollere; ubi cum subjectum cui pronomen quisque additum est, in „coepere" lateat, Kritzius falso dicit, quisque cum plurali conjungi. Cat. 38, 2: quicunque rem publicam agitavere, honestis nominibus, alii sicuti populi jura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum

1) Madvig, Lat. Sprachl. §. 217 nt. 1. Reisig, Vorles. § 193 nt. 338; § 194.

simulantes pro sua quisque potentia certabant; 52, 23 ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis. Jug. 1, 4 suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt; 8, 4 sese quisque praeda locupletem fore — animis trahebant. Hist. I, 48 (Kr. 51) 6 sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum corruperunt. I, 67 (Kr. 66); III, 72 (Kr. 87).

Neque aliter judicandum est de pronomine alius — alius: Cat. 6, 2 postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes — ubi pluralis „viventes" congruit cum subjecto, quod subest in verbo „convenere" neque Kritzio assentiendum est monenti, quod alius bis positum non unius sed plurium significationem habeat, praedicatum, non forma grammatica sed sensu spectato, recte plurali numero enunciari posse. Cat. 22, 2 atque eo ita fecisse, quo inter se fidi magis forent alius alii tanti facinoris conscii; 52, 28 sed inertia et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini; Jug. 12, 2; 46, 4; 50, 5: non confertim neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi; 66, 3: sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militaris et ipsum praefectum oppidi — alius alium domos suas invitant (sc. Vaccenses); 101, 2; Hist. I, 41 (Kr. 45) 20. —

Sed animadvertas Cat. 37, 6 deinde multi memores Sullanae victoriae — sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Jug. 53, 8, milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad caelum fert. — Hist. IV, 1 (Kr. 22) hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia — ea arte se quisque in formam parmae equestris (clupeo) armabat. — His enim omnibus locis anacoluthon quoddam quin insit non est dubitandum, quo subjectum paullo remotius a pronomine quisque, ad quod praedicatum spectat, quodammodo excipiatur. —

Hic commemoraverim pronomen „unus" bis plurali numero usurpatum esse sed conjunctum tantummodo cum substantivis quae pluralia tantum vocantur vel quae plurali plures res in unum conjunctas comprehendunt: Cat. 6, 2 in una moenia convenere; Jug. 60, 7 unae atque alterae scalae.

Sequitur ut disseram de constructione, quae vocatur *κατὰ σύνεσιν*, qua praedicatum ad substantivum singulari usurpatum, quo quidem plures personae aut res contineantur, relatum numero enunciari potest plurali. — Quod genus dicendi Ciceroni inusitatum perquam raro reperitur in libris Caesaris (B. G. 2, 6 cum tanta multitudo lapides ac tela conjicerent); sed in eo Livium praeter ceteros fuisse frequentem constat, idemque saepe a Tacito tractatum esse; neque Sallustium ab illo dicendi more se abstinuisse comprobatur exemplis his: Cat. 7, 4 jam primum juventus — in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant; 23, 6 Pleraque nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebant. — His igitur duobus locis singularis et pluralis promiscue post notiones collectivas leguntur. — Jug. 41, 5 Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vortere. — Jug. 73, 3 Et Romae plebes litteris, quae —, cognitis volenti animo de ambobus acceperant. Hist. I, 41 (Kr. 45) 12. Sociorum et Lati magna vis — per unum prohibentur; Hist. inc. lib. 25 (Kr. III, 72): Simul immanis hominum vis multis locis invasere. Ac saepius vocabulum „pars“ cum plurali conjunctum est: Cat. 48, 5 alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen — conclamant; 53, 1 consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam ejus laudant. Jug. 13, 8 quorum pars spe, alii praemio inducti singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne — consuleretur; 31, 13 pars eorum occidisse tribunos plebei, alii quaestiones injustas, plerique caedem in vos fecisse pro munimento habent. 32, 3 pars ex pacatis praedas agebant; 56, 5 profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent; 58, 3: alii arma capere magna pars volnerati aut occisi; 62, 7; 100, 5; Hist. II, 52 (Kr. 59); IV, 61 (Kr. 19) 18. — Est autem cavendum ne cum hoc dicendi genere confundamus illud, quo nomen pars aeque ac pronomina quisque, alius — alius — de quibus supra diximus — appositionis locum tenet neque ad numerum praedicati pertinet — id quod ab editoribus auctoris nostri (Kr. Cat. 2, 1; Jug. 15, 2; 19, 1) et grammaticis parum observatum videtur. Cat. 2, 1 igitur

initio reges divorsi pars ingenium alii corpus exercebant; 38, 3 quicumque rem publicam agitavere — alii sicuti populi jura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret — pro sua quisque potentia certabant; 61, 8 Multi autem — volventes hostilia cadavera amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant. Jug. 14, 15: capti ab Jugurtha pars in crucem acti, pars bestiis objecti sunt. 19, 1 Postea Phoenices pars imperi cupidine alii multitudinis domi minuendae gratia — condidere. 31, 10 incedunt per ora vostra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes; 38, 5; 50, 4; 51, 1; 57, 4; 60, 7; 66, 4; 69, 2; 74, 1.

Quibus substantivis addendum est pronomen uterque, quod uno loco cum plurali conjunctum est: Cat. 49, 2 nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant; quem pluralem imprimis usitatum poetis etiam a Caesare (B. C. 3, 30) ac saepius ab eis, qui postea scripserunt, usurpari videmus (Tac. Hist. 2, 97; 4, 34.) —

Consimiliter deinde pronomina et demonstrativa et relativa, quae ad tale quod substantivum, cui inest vis collectiva, referuntur, plurali ponuntur numero:

Cat. 16, 1; juventutem — multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testis signatoresque falsos commodare; 17, 7 simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore; 39, 3 ipsi innoxii florentes sine metu aetatem agere, ceteros judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum adrexit; ubi Kritzius et Fabrius „eorum“ ad plebem referri jusserunt; quam sententiam cum non habeat quo offendamus probandam puto, eo magis si considerentur ea quae leguntur: Hist. III, 61 (Kr. 82) 28 plebes, quodcunque accidit, pro victis est: quo loco similiter verbum ad plebem pertinens plurali dictum est. Et intelligi vult noster inimicitias illas, quas semper plebs cum nobilitate exercuerat cf. Cat. 33, 3; Jug. 31, 17. Quare Herzogius et Dietschius „eorum“ ad ceteros referendum esse minus recte judicasse videntur. — Jug. 13, 8 tanta commutatio incessit, ut ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha veniret. Quorum pars; — 14, 5

familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit. — Quorum progeniem —; 28, 2 senatus a Bestia consultus est — eique decrevere; et 15, 1 Jugurtham a senatu petere, ne se alium putarent. — 35, 6 unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant;[1] 38, 6 ex eo numero, quos paulo ante corruptos diximus. — cf. Cat. 33, 1; 42, 3; Jug. 18, 4. — Jug. 91, 4 repente omnem equitatum et cum eis velocissumos pedites — jubet. 95, 1 cum magno equitatu in castra venit, quos —; 102, 6 Ad hoc populo Romano jam a principio imperi melius visum amicos quam servos quaerere: tutiusque rati volentibus quam coactis imperare. — Jug. 100, 4 vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futuri quae imperasset, quam —; qua praefracta et aspera verborum compositione offensi nonnulli librarii scripserunt futurorum vel futurum et Dietschius emendavit futura. Sed equidem optimorum et plurimorum librorum auctoritati obtemperandum atque nihil novandum existimo; est enim futuri collective dictum, ad quod plurale quae per synesin pertinet.[2] Et similia sunt haec: Cat. 51, 42 profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus; ubi vocabulo ea, ad imperium relato, comprehenduntur omnia, quibus potestas imperantis conspicitur. — Mira autem numeri mutatio inest in his: Cat. 56, 5 servitia repudiabat, cujus — magnae copiae concurrebant; de quibus verbis, quae plerique et optimi codices exhibent, multum disputatum est. Et singulare cujus non ita intelligendum esse censeo, ut simul audiatur servitii, sed neutrum substantivi loco positum recteque esse Priscianum (lib. 17, cap. 20) interpretatum „cujus rei.“

Et quoniam huc oratio pervenit, pauca addam de usurpatione pronominis, in qua summam licentiam inesse apparet. Interdum enim pronomen relativum ita ad praegressum possessivum refertur, ut genere et numero ad eam personam conveniat, quae in pronomine possessivo subest. Cat. 33, 1 sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent, qui — omnes fama

---

1) Stuerenb. Cic. pro Arch. poeta (prim. edit.) cap. 12. pag. 186.
2) Rudim. II, pag. 24, nt. 54.

atque miseris expertes sumus. Jug. 85, 28 Vostra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium imposuistis.

Et denique ita libere et solute usurpatum est pronomen, ut non ad vocem aliquam pertineat, sed tantummodo ex universa sententiarum ratione repeti possit; Cat. 18, 1 Sed antea item conjuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fui. De qua quam verissume potero dicam. Quae lectio omnibus codicibus munita quin tuenda sit praecipientibus plerisque editoribus non dubito. At Kritzius legi vult „de quo," cum nullum exemplum ita comparatum sit, ut pronomen ad substantivum ex verbo eliciendum referatur. Sed apposite affert Fabrius illud Caesaris B. G. 1, 40: servili tumultu, quos (sc. servos) tamen aliquid usus ac disciplina sublevarent; et Livii 42, 47. Nihil ergo mutandum puto et referendum pronomen „qua" ad conjurationem, quod nomen intelligi potest ex verbo conjuravere. — Et similia sunt haec Jug. 18, 9 Medi autem et Armenii adcessere Libyes — eique mature oppida habuere: nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant. Est enim „inter se" dictum perinde ac si praecederet Hispanorum notio quae ex vocabulo Hispania supplenda est.

CAP. IV.

DE ADIECTIVO.

A. Adjectiva (et participia) pro substantivis dicta. [1]

Quamquam lingua latina articulo, quo addito Graeci adjectivo vim substantivi induunt, caret, tamen adjectiva pro substantivis posita omnino non habent, in quo quisquam offendat, dum modo ex compositione verborum perspici possit, adjectivum substantivi loco esse. Sed quum ea sit vis atque natura adjectivorum, ut non res aut homines ipsos sed tantum

---

1) Naegelsbach, Lat. Stil. §§ 21 ff. Dietrich: Jahn's N. J. B. suppl. 8. pag. 485—503. Draeger, Hist. Synt. pag. 36 ff.

notas rerum atque animantium significent, — alia adjectiva pro substantivis poni non posse, nisi quorum ea est ratio, ut praeter notae significationem simul certum aliquod rerum aut hominum genus, quod illa nota insigne est, comprehendant recte Dietrichius (pag. 486) docet. Et quae sit eorum vis quo clarius eluceat, plerumque complura adjectiva aut conjunguntur aut opponuntur inter se. — Quod genus dicendi quam usitatum sit Sallustio, jam demonstremus.

1) Masculina pluralia:

Adjectiva masculini generis, quippe quibus, ut est praeceptum, genus quoddam hominum designetur, plurali numero magis ad usum convenire quam singulariter dicta, facile intelligitur. Quapropter longe plurima inveniuntur pluralia et maxime eorum nominativus et accusativus usurpantur, sed rarius ceteri casus, qui ita terminentur, ut genus ex forma intelligi nequeat.

Nominat. et Accusat.: aequos bonosque Jug. 85, 5: alienos Jug. 10, 3; boni Hist. I, 48 (Kr. 51) 13; bonos Jug. 31, 27; 53, 8; boni — mali Cat. 7, 2; 51, 30; 52, 22; Jug. 31, 15; 67, 2. — contra advorsos Jug. 97, 5; apud dextumos Jug. 100, 2. — ad ignaros et minus bonos Cat. 51, 27; ibid. ad indignos et non idoneos. Quae adjectiva absolute, ut dicitur, adhibita nihil offensionis habent, nam vocabulum tametsi ex eis aptum non est, quae sit eorum vis ex universa sententiarum ratione satis apparet cf. Cat. 35, 3; 51, 8; Jug. 73, 2. — apud inferos Hist. II, 41 (Kr. 50) 3. — inermes Jug. 94, 5 — innocentes Cat. 51, 40. — inopes potentisque Hist. IV, 61 (Kr. 19) 17. — insontis — sontis Cat. 16, 3 integros Cat. 60, 4; Hist. I, 48 (Kr. 51) 9. — inter invidos — factiosos Jug. 85, 3. — malos Cat. 37, 3; 52, 13; Hist. I, 48 (Kr. 51) 9, 13; mali atque scelesti Cat. 52, 15. — meliores Hist. I, 48 (Kr. 51) 21. — mortales Cat. 1, 5; Jug, 10, 2; 17, 7; 41, 1; quod verbum Sallustio adamatum ita usurpari cum Fabrio et Dietschio puto, ut significetur id quod humanae naturae commune sit et ut homines distinguantur ab eis, quibus mortale quid non insit. at cf. Herzog. ad Cat. 2, 8. — multi Cat. 3, 1; 17, 4; Jug. 4, 2; 7, 7 ff. — novos Jug. 65, 5; novi veteresque Jug. 87, 3; 97, 5. — in noxios Jug. 31, 26. —

penes optumos — non audacissumos Jug. 31, 16. — pauci Cat. 6, 4; 50, 1; Jug. 8, 2; 58, 3 ff. — pessumi Hist. I, 41 (Kr. 45) 2; pessumi et stultissumi Hist. I, 48 (Kr. 51) 1. — postremos Jug. 50, 4; 55, 8. — apud primos Jug. 46, 7; 101, 6; primos — extremos Jug. 99, 2. — promptissumos belli Hist. II, 13 (Kr. 18). — proxumos Jug. 80, 3; 97, 2. — singulos — univorsos Jug. 84, 1; 54, 1; Hist. III, 61 (Kr. 82) 21. — strenui boni, nobiles atque ignobiles Cat. 20, 7; strenui et imbelles Jug. 67, 2. — saucios Jug. 54, 1. — timidos — fortis Cat. 58, 19; Jug. 94, 2. —

Genit.: bonorum Cat. 3, 2: 48, 4; Jug. 85, 42; 86, 3. innoxiorum Hist. I, 41 (Kr. 45) 17. — locupletium Cat. 21, 2. malorum Cat. 48., 8. — mortalium Cat. 6, 3; 20, 11 ff. — multorum Jug. 8, 2. — necessariorum Jug. 103, 2. — noxiorum Hist. III, 61 (Kr. 82) 3. — paucorum Cat. 39, 1; 58, 11; Jug. 3, 4 ff. — potentium Hist. III, 61 (Kr. 82) 27. — sapientium Cat. 11, 8. — togatorum Jug. 21, 2. — validiorum Hist. I, 9 (Kr. 10); III, 61 (Kr. 82) 7. —

Dat.: bonis Cat. 37, 3; 51, 28; Jug. 64, 1; Hist. I, 48 (Kr. 51) 1. — exanguibus Cat. 39, 4. — ignavis Jug. 53, 8. — malis Cat. 54, 3; Jug. 31, 27. — miseris Cat. 54, 3. — paucis Hist. III, 61 (Kr. 82) 28. — pessumis I, 41 (Kr. 45) 21. — raris III, 61 (Kr. 82) 7. — timidis — strenuis Jug. 85; 50. —

Ablat.: qui plerumque ex praepositione praeeunte pendet. cum alacribus — cum velocibus — cum validis Hist. II, 11 (Kr. 17). — a bonis Cat. 52, 13. — ab dignis et idoneis Cat. 51, 27. — ab externis Hist. I, 41 (Kr. 45) 5, 19. — ex fortissumis — familiarissumis Jug. 98, 1; 67, 2. — cum humillumis Jug. 96, 2. — ab infimis Cat. 44, 5. — de inferis Cat. 52, 13. — de manufestis Cat. 52, 36. — pro mortalibus Jug. 1, 5; Hist. II, 21 (Kr. 27). — multis Jug. 18, 3; 97, 4 ff. — cum paucis Cat. 32, 1; 60, 7 ff. — cum pessumis Hist. I, 48 (Kr. 51) 22. — cum pluribus — belli melioribus Jug. 49, 2. cum plurimis Jug. 101, 6. — in primis Jug. 6, 1; in primis — in postremis Jug. 45, 2. — pro sauciis Cat. 60, 4. —

Haec autem pluralia etiam adjectiva habent apposita, sed nulla alia nisi numeralia. cf. Dietrich, p. 501. — complures

boni Cat. 19, 2; omnes bonos Cat. 21, 4; 33, 3; 52, 12; Jug. 85, 48; Hist. I, 48 (Kr. 51) 15; inc. 83 (Kr. 50): multos bonos. — cum paucis fidis Hist. III, 11 (Kr. 8). — per paucos factiosos Jug. 27, 2. — cuncti mortales Cat. 51, 13; plerique mortales Cat. 51, 15; multi mort. Cat. 2, 8; 10, 5; Jug. 20, 3; 31, 7 ff.; omnes mort. Jug. 28, 1. — paucis nobilibus Jug. 31, 9. — complures novi atque nobiles Jug. 8, 1. paucorum potentium Cat. 20, 7; Jug. 31, 19; Hist. I, 10 (Kr. 11). — multi probi Hist. I, 41 (Kr. 45) 8. — paucis sceleratis Cat. 52, 11. — paucis strenuis Jug. 107, 1. — Et uno loco adjectivum qualitatis, quod dicitur, cum alio videmus conjunctum: religiosissumi mortales Cat. 12, 3. —

De participiis in universum idem dici debet, quod de adjectivis dictum est. Cicero quidem in eis usurpandis pro substantivis nequaquam est infrequens; sed latissime eorum usus apud Livium et imprimis apud Tacitum patet neque a Sallustii more dicendi abhorret, ut id quod docuit Draegerus (Hist. Synt. p. 41), ab auctore nostro participia masculina substantivorum loco non poni, refutandum sit.

Partic. praeteriti: armati Cat. 18, 8; Jug. 94, 5. contra armatos Jug. 110, 6. — coactis (dat.) Jug. 102, 6. — condemnatis (dat.) Cat .36, 2. de condemnatis Cat. 51, 39. — sanguine conjunctos Jug. 10, 3. — de conjuratis Cat. 52, 17. — damnatis (dat.) Cat. 51, 40. — delecti Cat. 6, 6. cum delectis Jug. 51, 5. — evocatos Cat. 59, 3. — cum expeditis Cat. 60, 4. — meritos Jug. 54, 1. — occisorum Jug. 94, 6. — ex pacatis Jug. 32, 3. — proscriptorum Cat. 51, 33; Hist. I, 31 (Kr. 36); I, 41 (Kr. 45), 18. proscriptos I, 48 (Kr. 51) 6. ex proscriptis III, 4 (Kr. 3). — procul juxta sitos IV, 61 (Kr. 19) 17. — territos Jug. 38, 5. — victis (dat) Cat. 11, 7; 12, 4; 51, 9; 52, 4. —

Partic. praesentis: florentibus (dat.) Hist. IV, 61 (Kr. 19) 4. — imperantium Jug. 18, 12. — insidiantibus (dat.) Jug. 113, 5. — laborantibus (dat.) Cat. 60, 4. — merentes Jug. 100, 3. — occursantes Jug. 85, 4. — parentes Jug. 3, 2; 102, 7. — ex praesentibus Jug. 93, 7. — proeliantibus Jug. 93, 2. 4. — volentibus Jug. 102, 6. — in post futuros Hist. I, 41 (Kr. 45) 6. —

2) Masculina singularia.

Raro fit, ut pro substantivis ponantur. Et Naegelsbachius ea adhiberi statuit, si singularis collectivam vim habet, aut si ex toto habitu sententiarum apparet, unam dici personam, aut si infinite de universo genere personarum quaeritur, ut est philosophorum, aut denique si adjectivum inter substantiva legitur. —

Nominat.: bonus et ignavus Cat. 11, 2. bonus Cat. 15, 2. J. 31, 28. — infidus H. I, 48 (Kr. 51) 15. — malus J. 31, 28. —

Accusat.: alienum Jug. 10, 5. — mortalem Jug. 92, 2. —

Genit.: aequi bonique Hist. inc. 76 (Kr. 42). —

Dat.: ignavo Jug. 83, 1. — potentiori Jug. 41, 8. — proxumo ac maxume fido Jug. 35, 4. — cf. Naegelsb. §. 25. pag. 81. — bono Jug. 42, 3. —

Ablat.: a minus bono Cat. 2, 6. — cum divite — cum factioso — cum strenuo — cum modesto — cum innocente Cat. 54, 5 cf. Naegelsb. § 25, pag. 80. —

Sin pronomen indefinitum additur, id ipsum pro substantivo esse putandum est et adjectivum pro attributo subjunctum: nemo bonus Cat. 33, 4; Hist. II, 41 (Kr. 50) 11. — nemo sapiens Cat. 11, 3. — cujusquam boni Jug. 96, 3. — ignavi cujusque Hist. III, 61 (Kr. 82) 19. —

3) Neutra pluralia.

Haec adjectiva pro substantivis usurpare scriptoribus Romanis usitatissimum est, sed maxime ei casus frequentati sunt, ex quorum forma quale sit genus conspicuum est. — Sallustius creber est talibus vocibus.

Nominat. et Accus.: advorsa: Hist. II, 30 (Kr. 36); 41 (Kr. 50) 13; III, 61 (Kr. 82) 4. — aliena Cat. 12, 2; Jug. 1, 5; I, 48 (Kr. 51) 14. — bona — mala Cat. 20, 3; Jug. 73, 4; 85, 23; 102, 8. — difficilia Jug. 93, 3. — digna Jug. 62, 8; I, 48 (Kr. 51) 20. — divina — humana Cat. 12, 2; I, 41 (Kr. 45) 11; III, 60 (Kr. 63). — divorsa III, 68 (Kr. 78). — falsa Jug. 85, 27. — hostilia Jug. 107, 2. — humana — divina I, 41 (Kr. 45) 11; IV, 61 (Kr. 19) 17. — immoderata, incredibilia, nimis alta Cat. 5, 5. — incerta Cat. 17, 6; 20, 2; Jug. 83, 1; I, 19 (Kr. 21). — indigna II, 41 (Kr. 50) 8. — justa Jug. 11, 2. — magna atque mirabilia

Jug. 63, 1. — majora et magis aspera Jug. 89, 3. — mediocria Jug. 89, 2. — muliebria Cat. 13, 3, — multa Cat 3, 3; 20, 1; Jug. 6, 2 ff. — nova Cat. 20, 12. — oportuna Jug. 102, 10. — pauca Cat. 4, 6; 40, 2, Jug. 29, 5 ff. — postrema Cat. 51, 15. — prava Jug. 64, 2. — propinqua Jug. 89, 5. — proxuma Jug. 78, 2. — secunda II, 30 (Kr. 36). — seria Jug, 96, 2. — summa Jug. 60, 6. — utilia II, 41 (Kr. 50) 7. — vera Jug. 85, 27; IV, 48 (Kr. 6). libertas et vera I, 48 (Kr. 51) 20; vera et honesta III, 61 (Kr. 82) 13; IV, 61 (Kr. 19) 3. — vetera Jug. 102, 14; vetera et nova Cat. 37, 3. —

Genit. et dat.: his casibus posita adjectiva non invenimus, nisi forte quis mala et bona afferri vult, quae adjectiva neutralia ita in vim substantivorum abierunt, ut quae sit propria eorum vis, vix sentiatur. cf. Jug. 2, 3; Cat. 10, 3; 40, 2. —

Ablat.: multis Jug. 111, 1; Hist. III, 61 (Kr. 82) 1. paucis Cat. 4, 3; 5, 9; Jug. 15, 1; 17, 1 ff. —

Interdum apponuntur adjectiva (omnia, multa) et pronomina: extrema omnia Cat. 26, 5. — multa falsa Hist. inc. 78 (Kr. 44). — multa advorsa II, 41 (Kr. 50) 1. — multa periculosa Jug. 1, 5. — omnia saeva Jug. 14, 10. — aliena bene parta I, 41 (Kr. 45) 17. — alia magna et egregia tua Jug. 10, 2. — sua necessaria Jug. 73, 6. — superba illa II, 23 (Kr. 29), 5. — ad illa virilia III, 61 (Kr. 82) 15. Sed est videndum ne cum his confundantur ea, in quibus adjectiva: „omnia, cuncta," et pronomen „alia" vim substantivi habent et alterum adjectivum ita adjungitur, ut pro attributo sit. cf. Dietrich, pag. 501; Naegelsb. § 24, 4. pag. 76. — Sacra profanaque — omnia Cat. 11, 6. — Omnia — honesta atque inhonesta Cat. 30, 4; Jug. 31, 12. — divina et humana — cuncta Jug. 5, 2; 31, 9, 20; I, 48 (Kr. 51) 10. cum — caedem, fugam, aliaque hostilia portendant i. e. alias res, quae hostiles sunt Jug. 3, 2. — Propere commeatu, stipendio, armis, aliis utilibus (i. e. aliis rebus quae bello usui sunt) navis onerat Jug. 86, 1. — alia militaria Jug. 80, 2. — alia sacrata I, 22 (Kr. 26). —

Participia, quorum usus cum adjectivorum conferri potest, a nostro persaepe substantivorum instar ponuntur.

Nominat. et Accusat.: partic. praeteriti: pax et composita I, 41 (Kr. 45) 25. — ficta Jug. 11, 1. — occulta pectoris Jug. 113, 3. — parta Jug. 31, 17; et haec tritissima: acta, consulta, decreta, delicta, deserta, dicta, errata, facta, imperata, incepta, jussa, mandata, merita, postulata, praecepta, promissa, secreta. — partic. praesentis: praesentia I, 10 (Kr. 11). — volentia IV, 31 (Kr. 56) i. e. exoptata; quo sensu etiam apud Tac. Annal. 15, 36; hist. 3, 52 — nihil profutura Jug. 1, 5. —

Genit.: gignentium Jug. 79, 6; 93, 4. — decretorum I, 48 (Kr. 51) 3. —

Dat.: cupitis IV, 32 (Kr. 58). — decretis II, 41 (Kr. 50) 1. inceptis Cat. 17, 6. — jussis Jug. 31, 19.

Ablativus saepius legitur: decretis, dictis, factis, mandatis, praeceptis, promissis. —

4) Neutra singularia.

Haec, quae proprie a philosophis ad abstracta nomina notanda tractantur, rerum scriptoribus non tam frequentata sunt quam pluralia; et maxime id cadere statuendum est in ea quae nominativo et accusativo enunciata sunt, qui casus rarius admittuntur quam reliqui (genit. ablat.).

Nominat. et Accusat.: bonum et aequum Jug. 15. 3; bonum aut honestum Jug. 82, 2: jus bonumque Cat. 9, 1. malum Cat. 37, 11. — verum Cat. 38, 3; 48, 5; 51, 2; Jug. 33, 4; 35, 8.

Genit.: alieni appetens Cat. 5, 4. — quid boni Jug. 88, 2. — nihil languidi neque remissi Jug. 53, 6. — quid — mali Jug. 14, 16. — finem mali III, 61 (Kr. 82) 9. —

Dat.: vero Jug. 16, 1. —

Ablat.: aequo Cat. 51, 11: aequo et bono I, 48 (Kr. 51), 17. — arido atque arenoso Jug. 44, 3. — bono honestoque Jug. 8, 1. — malo Cat. 51, 32; Jug. 100, 5; IV, 40 (Kr. 48). — vero Jug. 105, 3.

Non numquam aliud adjectivum additur: bonum publicum Cat. 38, 3; Jug. 25, 3; boni aut mali publici IV, 34 (Kr. 62). — maxumum bonum Cat. 43, 4. — anceps malum Jug. 67, 2;

ancipiti malo Cat. 29, 1; malum publicum Cat. 37, 8; I, 48 (Kr. 51), 13; commune malum Jug. 64, 1; malum improvisum Jug. 91, 5.

Quae de adjectivis supra dicta sunt, ea etiam in participia quadrare apte videntur:

Nominat. et Accusat.: compertum Jug. 17, 2. — decretum Cat. 53, 1; Jug. 16, 2 ff. — factum Cat. 24, 1; 51, 32. — inceptum Jug. 7, 6; 11, 9 ff. —

Genit.: delicti Cat. 52, 8 ff. facti Jug. 27, 1 ff.

Dat.: delicto Cat. 52, 21. — incepto Jug. 37, 4. — peccato Cat. 52, 35. —

Ablat.: consulto atque opere Jug. 92, 5. — decreto Cat. 30, 3 ff. — ex delicto Jug. 39, 2; 102, 12. — facto — dicto Jug. 64, 5. — ab incepto Cat. 4, 2 ff. — rapto III, 52 (Kr. 48). —

Saepe autem adjectiva neutralia a nostro ita usurpantur, ut ex praepositionibus pendeant, quod genus dicendi Livio praeter ceteros omnes scriptores familiarissimum est cf. Drakenb. Liv. 28, 3, 9.

in advorsa Jug. 104, 2. — ex aequo bonoque Jug. 35, 7. — in aperto Jug. 5, 3. — pro bono Jug. 22, 4. — a bono honestoque — in pravum Jug. 29, 2. — in cassum III, 61 (Kr. 82) 11. — pro certo Cat. 15, 2; 52, 17. pro certis Cat. 17, 6; 20, 3; Jug. 83, 1. — ex composito II, 12 (Kr. 62). — in deterius inc. 78. — in dubio Cat. 52, 6. — in excelso Cat. 51, 12. — in extremo Cat. 52, 11; Jug. 23, 2. — ex improviso Jug. 14, 11, 16; 20, 3; 53, 1; 58, 1. de improviso Cat. 28, 1; Jug. 38, 4; 99, 1; 107, 6. — in immensum Jug. 48, 3; 92, 5. — in incerto Cat. 41, 1; Jug. 38, 5; 46, 8; 51, 1. — de integro Jug. 62, 9. — in majus Jug. 73, 5; II, 70 (Kr. 88); III, 60 (Kr. 63). — in medio Cat. 19. 6; Jug. 45, 2; 79, 3; in medium IV, 12 (Kr. 40). — ad necessaria Cat. 20, 11. — pro nihilo Jug. 31, 25. — in obscuro Cat. 51, 12. — ex occulto Jug. 59, 2; III, 67 (Kr. 77) 17. in occulto Jug. 85, 23. — in planum Jug. 49, 6. — in posterum III, 61 (Kr. 82) 12. — in postremo Jug. 46, 7. ad postremum I, 10 (Kr. 11); I, 48 (Kr. 51) 5. — in praesens Cat. 16, 3; IV, 61 (Kr. 19) 19; IV, 69 (Kr. 72). — in

primo Jug. 68, 4. — in promptu Jug. 111, 1. — per pronum III, 22 (Kr. 23). — in propatulo Cat. 13, 3. — in propinquo III, 67 (Kr. 77) 4. — in proxumo Jug. 59, 2. — in unum Cat. 17, 2; Jug. 11, 2; 31, 14; 50, 5; 51, 3; 80, 2; 98, 4. — ex vero Cat. 8, 1; a vero I, 5 (Kr. 6); a vero bonoque Jug. 30, 2; pro vero Cat. 51, 36; contra verum Jug. 35, 8. —

Genitivus deinde adjectivis neutrius generis subjungitur; quae verborum constructio apud veteres scriptores et Ciceronem admodum infrequens primum a Sallustio saepius admissa est atque saepissime usurpata a Livio maximeque a Tacito, quo nemo quisquam magis hoc usu loquendi delectatus est. cf. Drakenb. Liv. 37, 58, 8; Dräger Synt. u. Stil. d. Tacit. § 66.

humi arido atque arenoso Jug. 48, 3 cf. Caes. b. G. 4. 24; 26, 4. — diei extremum Jug. 21, 2; aestatis extremum Jug. 90, 1; in praerupti montis extremo Jug. 37, 4. — diei medio II, 77 (Kr. 102). — obfensae minumum Jug. 102, 7. — multum laboris Jug. 14, 12. multum diei Jug. 51, 12. — plus timoris quam periculi Cat. 42, 4; Jug. 31, 1; 42, 4; 44, 2; 85, 40. — plurumum audaciae Cat. 17, 2; Jug. 75, 4. 5; I, 41 (Kr. 45), 1. — plerumque noctis Jug. 21, 2; 98, 6; 109, 4. — ad summum montis Jug. 93, 2.

cava terrae H. II, 43 (Kr. 52). — advorsa certaminis III, 61 (Kr. 82) 4. — incerta generis humani I, 19 (Kr. 21). Oceani longinqua I, 61. — Italiae marituma et provinciarum II, 41 (Kr. 50), 7. — Italiae plana ac mollia IV, 17 (Kr. 32). — legum cultusque pleraque Jug. 78, 4; humanarum rerum pleraque 102, 9. — reliqua cadaverum III, 6 (Kr. 7). Laeva moenium H. II, 18 (Kr. 24): a me impetrare non potui, ut Dietschio, qui laeva moenia rescribere ausus est, assentiendum esse censerem. Virum enim doctissimum minus recte contendisse, genitivum cum neutrius generis adjectivo plurali ita tantum conjunctum esse, ut partes totius alicujus rei dicerentur, ex eis colligi potest, quae modo commemoravimus „advorsa certaminis, longinqua Oceani“ quae adjectiva non partes, sed qualitates substantivorum adjunctorum significare in aperto est. Quare cum Sallustii usus scribendi non impediat, quominus laeva moenium intelligantur moenia ad laevam sita,

lectionem codicum, quam libri Prisciani (V, p. 143) etiam exhibent, tuendam existimo.

B. Adjectivum pro adverbio.[1]

Peculiare est ac proprium latini sermonis, ut non numquam adjectivum pro adverbio ponatur. — Etenim, ut Kritzii verbis utar (Cat. 26, 5), ubi verbum ita cum substantivo est conjunctum, ut et subjectum vocabulo apposito et praedicatum adverbio accuratius definiri possit, Latini subtilitate quadam dicendi, a nostro idiomate aliena, adjectivum ponunt, ubi ex recentiorum linguarum usu potius verbum apposito adverbio definiri solet. — Facultas igitur aliqua, quae proprie ad actionem pertinet, ad agentem relata cogitatur:

Illi haud timidi resistunt Cat. 60, 3; incedunt magnifici Jug. 31, 10; Jugurtha — subdolus ejus augere amentiam 38, 1, — civitas — laeta agere 55, 2; liberi agere I, 41 (Kr. 45), 2; varius incertusque agitare Jug. 74, 1. — multus atque ferox instare 84, 1. — quo improvisus gravior accideret 88, 6. — At Marius anxius trahere cum animo suo — 93, 1. — beneficia — invitus accipere 96, 2. lubens accepit 104, 3. —

Quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant. Cat. 26, 5; 52, 29; Jug. 63, 1. — oportunitas — quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit Jug 6, 3; 14, 20; qui postquam in aedis inrupere, divorsi regem quaerere 12, 5; metu atque lubidine divorsus agitabatur 25, 6; 55, 7; 87, 4; 101, 2. — luxuria atque inopia praeceps abierat Cat. 25, 4; praeceps agor 31, 9; praecipites eant Jug. 31, 6; 63, 6. — Jugurthae obvius procedit 21, 1; obvii procedebant 46, 5; 69, 1; 113, 5. — Ac primo efficit, ut — occultus veniat Jug. 61, 4; III, 67 (Kr. 77), 14. ad vigilias multus adesse Jug. 96, 3. — potissumus temptare 94, 2. — citi se ostendunt 101, 1. —

His adnumeranda sunt ea, quae participia p o adverbiis habent: Maturantes veniunt Jug. 22, 1; — praedas certantes agere 44, 5; avidi gloriae certantes murum petere 94, 6. — festinans pergit, quietus — aciem exornat 52, 5. — properan-

1) Naegelsb. Lat. Stil. § 82, pag. 225. Roth Tac. Agric. cap. 23, pag. 203.

tes arma capiunt 53, 1; multa, quae properantes deseruerant in castris, nancti IV, 4 (Kr. 26). —

C. De comparatione adjectivi (et participii).[1]

In novandis vocabulis comparative et superlative dictis huc insolentiae Cicero procedit, ut longe ceteris Romanorum scriptoribus antecellat. At in eo nemo fere quisquam tam emendate locutus est quam auctor noster, ut pauca ejus libri praebeant exempla, quae habent insoliti sive novi aliquid:

Comparativa: adulescentior Hist. I, 52 (Kr. 55). — divorsius Cat. 61, 3; minus recte igitur Allgayerus in antibarbaro Krebsii docuit, hanc formam vix inveniri. — inconsultius Jug. 35, 6; it. Caes. b. g. 1, 45; Liv. 41, 7. — properantius Jug. 8, 2; 96, 3. — purgatiores II, 89 (Kr. 87). — socordius III, 71 (Kr. 86). — suspectiores Cat. 7, 2. —

Superlativa: cupientissumus Hist. inc. 32 (Kr. V, 15); Jug. 84, 1. — dextumus Jug. 100, 2. cf. Priscian. 3, 3, 19 — quaesitissumae (epulae) II, 23 (Kr. 29) 4; it. Tac. annal. 2, 53; 15, 44. — paucissumis (absolvam) Jug. 17, 2. 7. — sollertissumus Jug. 96, 1. it. Cato d. re rust. 8, 2. — strenuissumus Cat. 61, 7; it. Cato d. re rust. prooem. 4; Tac. hist. 4, 69. —

D. De singulis adjectivis.

aliquantus: hoc adjectivum, scriptoribus aetate inferioribus usitatum, ter apud nostrum invenitur Jug. 74, 3; 105, 4; Hist, II, 23 (Kr. 29) aliquantam partem. — apud Liv. 29, 35. — Ceteroquin aliquantum vel aliquanto adverbialiter posita sunt.

ceterus et plerusque: haec adjectiva,[2] quae plurali numero poni solent, Sallustius identidem singulariter dicere ausus est: nom. cetera Cat. 52, 31; Jug. 61, 2. gen. ceteri Cat. 13, 3; dat. ceterae Cat. 36, 2; 43, 1; accus. ceterum Cat. 59, 5; ceteram Jug. 92, 5. ablat. cetera Jug. 89, 6. — nom. pleraque Cat. 23, 6; 38, 2; Jug. 17, 6; 18, 12; accus. plerumque Jug. 54, 9; ablat. pleraque 79, 2; 85, 21. —

1) Neue, Formenl. d. lat. Sprache II, p. 72 ff. Dräger, Hist. Synt. § 11.
2) Reisig, Vorles. § 92. nt. 153; 155.

discordiosus Jug. 66, 2; usurpatum est hoc vocabulum, quod praeter auctorem nostrum Sidonium (epist. 6, 2 discordiosa domus) admisisse cognovimus, ex analogiae ratione aliorum adjectivorum in terminationem osus exeuntium (calamitosus Cat. 48, 2, seditiosus Jug. 66, 2): de quibus Nigidius Figulus apud Gellium (4, 9, 2) disseruit haec: inclinamentum semper hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, religiosus, significat copiam quandam inmodicam rei, super qua dicitur. —

Enumeranda sunt deinde complura adjectiva quae plerumque activa potestate posita a Sallustio passiva vi dicuntur:[1] falsus: Jug. 10, 1 neque ea res falsum me habuit (me fefellit); 85, 20 Ne illi falsi (decepti) sunt, qui divorsissumas res pariter expectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. — ignarus Jug. 18, 6 mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant; 52, 4 velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt; Hist. inc. 94 (Kr. 63) more humanae cupidinis ignara visundi cf. Tac. annal. 1, 63 trudebanturque in paludem gnaram vincentibus; et cf. Nipperdey ad Tac. annal. 11, 32. — incertus: Jug. 49, 5 inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum et tamen incerti quidnam esset. — innoxius Cat. 39, 2 ipsi innoxii (inviolati) florentes sine metu aetatem agere. — saluber Jug. 17, 6 genus hominum salubri corpore; it. Liv. 1, 31; Tac. hist. 5, 6. —

infestus vox Sallustio tritissima ad unum omnibus locis vi invenitur activa: Cat. 15, 4 dis hominibusque infestus; ubi Kritzius adjectivum illud passive accipiendum esse parum recte praecipit; Cat. 51, 10; 52, 29; Jug. 14, 17; ff. —

inquies obsoleta forma pro „inquietus“: Hist. I, 7 (Kr. 8); I, 48 (Kr. 51) 11, 16; II, 35 (Kr. 45); IV, 27 (Kr. 60). cf. Prisc. 6, 11: inquies — inquietis declinatur, quod trium factum est generum.

pergnarus Hist. IV, 1 (Kr. 22); perincertus IV, 35 (Kr. 50) ap. Gell. 18, 4, 4; quae adjectiva apud reliquos Romanorum scriptores non exstant.

---

1) Gell. 9, 12. — Kritz Cat, 10, 5. — Paldam., Cäs. Zeitschr. Bd. 6, Nr. 62.

sublima (nebula) III, 15 (Kr. 14) pro vulgari forma sublimis; ap. Non. p. 569. —

tumulosus Jug. 91, 3 quod vocabulum ceteroquin vix reperitur; cf. ceterum quae supra dicta sunt de adjectivo „discordiosus."

CAP. V.

DE ADVERBIO.

A. Adverbium pro adjectivo.

1) pro adjectivo praedicativo. Recte praedicatum ita declarari, ut verbo „esse" adjectivum aut substantivum subjungatur, omnibus est pervulgatum. Sed ab hac dicendi consuetudine identidem recedentes scriptores Romani adjectivi et substantivi loco adverbium admittunt; in qua structura verbum esse non solam vim copulativam habere sed prope ad significationem verborum „adesse, se habere" accedere censendum est.[1] Neque infrequens Sallustio conjunctio haec est. frustra esse: quam dictionem Handius (Turs. II, 747) docet Ciceroni numquam usitatam apud comicos inprimis poetas saepe reperiri pro „in errore esse, falli, destitui effectu" et apud nostrum: Jug. 7, 6; 61, 1; 71, 5; 73, 7; 85, 6; 93, 1; 112, 2; III, 61 (Kr. 82) 9. — abunde esse: Cat. 21, 1 mala abunde omnia erant; 58, 9 commeatus abunde (sc. erunt), municipia atque coloniae patebunt; ubi Handio abunde cum genitivo commeatus conjunctum esse putanti non assentiendum mihi esse videtur cf. Fabrium ad Jug. 43, 3; Jug. 63, 2 praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant; III, 61 (Kr. 82) 26. — I, 41 (Kr. 45) 19 satis illa fuerint, quae — toleravimus, II, 41 (Kr. 50) 3; Jug. 75, 7. — Jug. 31, 22 Nam et illis — parum est impune male fecisse. — Cat. 19, 2: quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat; Jug. 53; 7; 85, 48. — Jug. 47, 1 erat haut longe —

---

1) W. Müller, Philolog. Bd. 9. pag. 617 ff.

oppidum Numidarum; 89, 6; 92, 5. — Jug. 19, 4 proxumo Hispania Mauri sunt, quae verba quamquam plerique libri praebent neque ea constructionis ratio ab Sallustii ingenio aliena est, tamen cum Dietschio auctoritatem libri omnium vetustissimi sequendum et „proxumi" retinendum putavi — id quod eo facilius probavi, quod jam Arusianum grammaticum ita scripsisse cognoveram. — Jug. 14, 11 — effecit, ut ubivis tutius quam in regno meo essem. — Jug. 87, 4 Romanos — remoto metu laxius licentiusque futuros. — Cat. 51, 34 neque prius finis jugulandi fuit. — Jug. 94, 1 uti prospectus nisusque per saxa facilius foret. His duobus locis quae sit significatio verbi „esse" Muellerus docuit his verbis: Wie in den Verbindungen bene, male, recte est esse in der Bedeutung von accidit, fit, agitur gesetzt ist, so vertritt es auch geradezu das Passiv von facere oder einem bestimmteren Verbum und nimmt so ein Adverb an. — Ita est Cat. 51, 11; 52, 30; Jug. 9, 3; 85, 42; 85, 7: Ita ad hoc aetatis a puritia fui. — Ut est Cat. 59, 2; Jug. 2, 3; 4, 8; 6, 1; 69, 2; 105, 5. — Jug. 88, 2: cognoscere quid boni utrisque aut contra esset; 85, 22. — Hist. II, 85 (Kr. 83) omnes, qui circum sunt. — II, 74 (Kr. 95) obviam fuere cf. Charis pag. 209, 6. —

2) pro adjectivo attributivo:[1] Adverbium adjectivi attributi instar usurpare tritissimum est Graecis, in quorum sermone adverbium in vim adjectivi vertitur ita, ut articulo et substantivo interjiciatur; quam scribendi rationem Romani, cum eorum lingua articulo careat, ita adaequant, ut adverbium substantivo et adjectivo vel pronomini interponant. Qui usus quamquam antiquioribus Romanorum scriptoribus non prorsus abest, tamen non prius diffundi coeptus est, quam notitia linguae Graecae ad habitum sermonis latini pertineret. Et saepenumero Livius (cf. Drakenb. 9, 2, 7) adverbium pro adjectivo adhibere solet, quem postea Tacitus secutus est. — Apud nostrum leguntur haec pauca exempla: Jug. 76, 5: denique Romani, multo ante labore proeliisque fatigati; —

---

1) Naegelsb. Lat. Stil. § 75, p. 202. Roth. Tac. Agric. p. 215 ff.

IV, 61 (Kr. 19) 14 nullo circum adnitente; § 15 vastis circum omnibus locis. Innumerabiliter autem Livius voce circa utitur: 1, 17; neque illius verborum ordinis rationem conservat: 5, 37 omnia contra circaque hostium plena erant.—

3) pro objecto: Quo loco ex vulgari usu loquendi est, ut ponatur objectum quod neutrius generis adjectivo pluraliter dicto contineatur, nonnumquam adverbium legitur: Cat. 41, 5 praecepit, ut bene polliceantur; Jug. 11, 1 et ipse longe aliter animo agitabat; 85, 27. — Sallustianum deinde est, verbis sentiendi et declarandi ita sive sic addere, quibus adverbiis anticipatur quodammodo objectum, quod inest in subsequenti constructione accusativi cum infinitivo: Cat. 14, 7: Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, juventutem — parum honeste pudicitiam habuisse; 51, 15; Jug. 14, 12; 114, 2: Romani sic habuere alia omnia virtuti suae prona esse; Cat. 51, 43 ita censeo, publicandas eorum pecunias; 52, 36; Jug. 85, 40: ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire; Cat. 19, 4: sunt qui ita dicant imperia ejus — barbaros nequivisse pati; Jug. 4, 5. — Huc denique referenda puto haec: Jug. 24, 5: nisi tamen intellego illum supra quam ego sum petere; Cat. 3, 2 quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit; quo loco noster Thucydidem imitatus est tradentem (2, 35, 2): *τῷ δ' ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσι*; et verba „supra ea“, quae respondent *τῷ δ' ὑπερβάλλοντι*, sunt concise dicta pro „quae supra ea sunt“ (*τὰ* supra ea). —

B. De singulis adverbiis.

audaciter inusitate pro audacter dictum est Hist. II, 78 (Kr. 101) et testimonio Prisciani confirmatum (15, 4): audax, audaci, audaciter, sed per syncopam in usu est frequentiore audacter. Sallustius tamen historiarum II audaciter protulit secundum analogiam.

abunde dicitur de eo, quod cum copia et abundantia quadam adest. De forma autem docti dissident inter se: plerique censent abunde esse adverbium ex adjectivo abundus

(Gell. 1, 2, 2) oriundum. Quod incertum aut falsum esse Handius I, 71 contendit; abundus enim, inquit, nemo omnium scriptorum Gellio antiquiorum dixit ipsumque hoc vocabulum factum est ex abunde, quod neutrum est adjectivi abundis et substantivi vim in se recepit sicuti pote et necesse et adverbium fit cum adjectivis et adverbiis componendum. — Quae scite dicta haud scio, an recta sint. Atque primum abunde pro adjectivo praedicativo esse supra demonstravimus, deinde adverbii vim habet pertinetque ad adjectiva et verba: Jug. 1, 3: qui — abunde pollens potensque — est; 14, 18: abunde magna praesidia nobis in vostra amicitia fore; 85, 26: abunde illis facundam — orationem fore; 85, 50: jam strenuis abunde dictum puto; 102, 7: quia parentis abunde habemus. — Eademque significatione utitur noster:

affatim Jug. 43, 3; 54, 6. — Ceterum de origine hujus vocabuli valde ambigitur. cf. Prisc. 15, 4, 1; sed Hand. I, 200.

aliquando (Hand. I, 250) proprie dicitur de incerto spatio temporis praeteriti aut futuri, ut Jug. 14, 17. Saepius autem usurpat noster hoc adverbium in sermonibus, quibus admonetur, ut quod jam diu expectatum sit et desideratum, tandem fiat: Cat. 52, 5 expergiscimini aliquando et capessite rem publicam; Jug. 14, 21; 62, 1; 102, 5. —

aliter legitur tribus locis pro alioquin, quod adverbium a Sallustio in usum non est receptum. Cat. 29, 3 Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere; — aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est; 44, 1, Hist. I, 37 (Kr. 40). — Propriam vim habet Cat. 51, 45 ff.

amplius de tempore et de numero dictum: Jug. 25, 10; 53, 5 ff. — Cat. 56, 2; Jug. 53 ff. — Sed contra vulgarem usum amplius bis ita est usurpatum, ut pro eo plures poni posset: Cat. 20, 11 illos binas aut amplius domos continuare, Jug. 80, 6 singuli, pro opibus quisque, quam plurumas uxores, denas alii alii plures habent, set reges eo amplius. — Inusitate etiam amplius, quippe quod proprie de ambitu et magnitudine dicatur, cum verbis posse et valere conjunctum invenimus, in qua conjunctione pondus significat et gradum: Jug. 69, 2 ira

atque praedae spes amplius quam lassitudo posse; Jug. 111, 1; Hist. III, 61 (Kr. 82) 19. —

Certe et certo De eo, quod differat inter haec adverbia a doctis multum est disputatum: Klotzius ad Cat. M. p. 74 certo scio, inquit, dicitur, ubi is, qui loquitur, velit contendere, id certum esse quod sciat; contra certe scio, ubi velit contendere, certum esse scire. — Nec dissentit Handius (II, pag. 15) certo particula declarari objectivam veritatem, certe vero usurpari ad subjectivam de veritate persuasionem, quae opinione aliqua aut judicio constat, indicandam. Et „certo scio" legendum puto Cat. 51, 16; Jug. 9, 2 ad quem locum cf. Stuerenb. pro Arch. poeta (alt. edit.) pag. 201. — At certe apud Sallustium vim restringendi habet. Quando enim sententia praecedit, in qua sola cum omni ex parte non certa et rata sit, acquiescendum non est, per particulam certe id additur, quod pro sua parte valet et in dubium vocari nequit. Jug. 4, 3 atque ego credo fore qui — tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant; certe, quibus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam quaerere; 31, 4; 85, 25; III, 61 (Kr. 82), 15.

Ceterum proprie significat „quod ad cetera attinet" ut Cat. 17, 6; 20, 6; Jug. 4, 1 ff. Refertur igitur ad sententiam, quae praeter alias spectanda est, poniturque si transitur in persequenda narratione ad novum aliquid. — Sed etiam vim adversandi habet, ut potestatem aequet particulae sed: Cat. 51, 26: Illis merito accidet, quicquid evenerit: ceterum vos, patres conscripti, quid in alios statuatis considerate; Jug. 2, 4; 14, 1. 12; 15, 4; 48, 1; 52, 1; 73, 4; 76, 1; 82, 1 ff. —

confestim propria vi idem est ac „sine mora", sed ab auctore nostro inusitata significatione dicitur pro „continuo": Hist. inc. 98 (Kr. 67) ut nuntiis confestim lugubribus (=nuntiis sine intervallo missis); cf. Charis. pag. 196, 2.

Contra saepius est pro adverbio et oppositioni inservit: Cat. 20, 10; 60, 5; Jug. 1, 2; 97, 3; III, 78 (Kr. 96); interdum vis augetur addita particula at: Cat. 12, 5; Jug. 4, 7; 15, 3; 36, 2; II, 41 (Kr. 50), 2; set sontra I, 48 (Kr. 51), 1 Contra ea grammatici vulgo existimant adverbialiter dicta esse

aeque ac praeterea et postea; quod praeceptum ad Sallustium non pertinere videtur. Jug. 57, 4 alii succedere ac murum modo suffodere, modo scalis aggredi, cupere proelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere. — Recte enim Handius (II, pag. 124) dicit, ea non abundare, sed ad antecedentia spectare hoc sensu: contra ea, quae a Romanis parari diximus; 85, 1 et consimiliter 76, 4 deinde — vineas agere, aggerem jacere; — contra haec oppidani festinare parare. —

Juxta saepe a Sallustio usurpatum ac primum proprie dictum Jug. 65, 2 ut sellam juxta poneret; IV, 61 (Kr. 19) 17: procul juxta sitos. — Hinc fit, ut in comparatione rerum locum habeat atque significet „aeque"; id quod rerum scriptoribus — oratores solent dicere aeque — usitatum est ac praecipue Livio. Itaque duo nomina rerum aequiparandarum junguntur verbis juxta ac: Cat. 37, 8 reipublicae juxta ac sibi consuluisse; Jug. 45, 2; 85, 33; 95, 3. — Cat. 58, 5 juxta mecum intelligitis. — Cat. 2, 8 vitam mortemque juxta aestumo; Cat. 51, 30; 61, 7; Jug. 67, 2; 72, 2; 85, 47; 88, 1. —

magis proprie gradum alicujus rei auget; sed identidem est pro potius, quod adverbium reposita una re alteri concedit locum atque correctioni inservit ut prope accedat ad „immo": Cat. 6, 5; 10, 5; 20, 17; 48, 5, 51, 6; Jug. 4, 4; 66, 2; 107, 3 ff. —

maturrime Hist. I, 44 (Kr. 47); I, 48 (Kr. 51) 16: de qua forma dicit Priscianus (3, 3, 19) haec: excipitur maturrimus, cujus cum positivus sit maturus, tamen quasi a nominativo matur, qui nunc in usu non est, nascatur, in er desinentium regulam servavit, id est in rimus terminatur. Etiam ap. Cic. de or. 3, 20, 74; Caes. b. G. 1, 33; Tac. annal. 1, 63; 15, 74. —

nave Jug. 77, 3 quod adverbium ab exoleto adjectivo navus oriundum Plautum usurpasse tradit Festus (nave agere); naviter, quod idem valet, pluribus legitur locis ap. Cic. ad fam. 5, 12, 3; Liv. 30, 4; 43, 7. —

opulenter Jug. 85, 34 etiam a Plauto admissum; sed opulente, ab adjectivo opulentus, quod saepius noster dicit, factum non invenimus. —

Postremo commemoranda sunt complura adjectiva neutrius generis adverbiorum loco posita: acre Hist. IV, 44 (Kr. 2) omnes pariter acre invadunt. — immane Hist. II, 79 (Kr. 76). — immensum III, 31 (Kr. 35); it Tac. annal. 3, 30. 52. multum Cat. 27, 4; 60, 4; Jug. 19, 1; 94, 3; 108, 1. — Jug. 5, 4 magnum atque late imperium valuit; quo loco Gerlachius adjectivum cum adverbio conjunctum esse censuit (magnum fuit et late valuit); sed simplicius multum pro adverbio accipi, ut idem fere sit ac valde, vix quemquam negaturum esse credo. cf. Kritz. ad. h. l. — recens III, 53 (Kr. 31); IV, 2 (Kr. 23); it. Liv. 2, 22, 4; Tac. hist. 1, 77; annal. 2, 21 ff. cf. Charis. pag. 216, 28. — Cetera hujusmodi: aliquantum, paulum, paululum, plurumum potissumum, quantum — vulgo dicuntur.

ERRATA.

p. 10 pr. propio Salustii l. proprio Sallustii.
p. 16 pr. referendem l. referendum.
pr. mortatis l. mortalis.

VITA.

Natus sum ego Christianus Carolus Augustus Anschuetz Salfeldae in urbe Meiningae die XXVIII mensis Quinctilis anni hujus saeculi XXXXVII patre Carolo, mercatore, et matre Augusta, quos veneror superstites. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis litterarum imbutus postquam urbis patriae scholas reales, quas vocant, per septem annos frequentavi, jam quintum decimum annum egressus in gymnasium Hilberhusanum a patre deductus sum ibique quattuor annis peractis testimonio maturitatis munitus a. MDCCCLXVII in universitatem Lipsiensem me contuli. Et tribus annis post Berolinum emigravi, unde ad bellum profectus contra Francogallos stipendia feci; quo bello confecto in patriam reducem me ad studia revocavi et per sex menses Berolini versatus a. MDCCCLXXII in civium academiae Halensis numerum receptus sum. Interfui autem scholis imprimis vv. ill. Curtii, Hauptii, Huebneri, Keilii, Ritschelii, Zacheri, Zarnckii philologis; Droyseni, Mommseni historicis, Drobischii, Haymii philosophicis. Quibus ex scholis quantum ceperim fructum voluptatemque semper pio et grato animo memorem me praestabo.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 764 1

THESES.

I.

In Sallustii Catil. cap. 59, 2 legendum conjicio esse ita, ut referatur aspera ad planities.

II.

Eorum, qui Tibulli lib. I carmen VI e diversis partibus conflatum esse statuunt, opinionem rejicio.

III.

In Sophoclis Philoct. v. 29 scribendum puto

καὶ στίβου 'στ' οὔδει τύπος.

IV.

Atheniensium *τὸ ἐκκλησιαστικὸν* post confectum bellum Peloponnesiacum inductum esse.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 764 1